DE

RENUM SUCCENTURIATORUM
ANATOMIA PHYSIOLOGIA ET PATHOLOGIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTERARUM

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

PRO GRADU DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ET LEGITIME CAPESSENDO

DIE II. M. DECEMBRIS ANNI MDCCCXLII.

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

ADAMUS SCHMITZ,

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

IOS. SCHAEFFER, MED. ET CHIR. DR.
FR. ALB. GIERLICHS, MED. ET CHIR. CAND.
IUL. WILLMANN, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO

VIRO DOCTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

CHR. FR. HARLESS,

MEDICINAE, CHIRURGIAE NEC NON PHILOSOPHIAE DOCTORI, REG. BOR. CONSILIARIO AUL. INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD. IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA, ACADEMIAR. ET SOCIETAT. ORD. IMP. ET WLAD. EQUITI, LITTER. COMPLUR. SODALI, ETC. ETC.

NEC NON

AMICIS SUIS PATERNIS

NICOL. EULER

IURECONSULTO,

ET

G. H. SCHUMACHER

VILLICO SUBURBANI „FINKEPÜTZ" PROPE COLONIAM SITI,

HAEC LITTERARUM PRIMORDIA

D. D. D.

AUCTOR.

„*Ins Innre der Natur dringt kein erschaffner Geist.*"

A. v. Haller.

CAPUT PRIMUM.

Renum succenturiatorum anatomia.

Quum propositum mihi sit, opellae hujus academicae utut minime omnibus numeris absolutae argumentum ex organornm dictorum investigatione et descriptione specialiori depromere, Lectores monere liceat, me praecipue etsi non unice horum corporum, qualia in homine inveniuntur, naturam reliquaque, quae observanda veniunt, respecturum esse, haud tamen prorsus neglecta ipsorum, quales in diversis animalibus sese habent, aliqua comparativa descriptione. Primum dispicere juvat eorum formam situmque et texturam:

I. in homine adulto.

Inventio nisi prima, certe tamen prima descriptio horum organorum tribuenda est Bartholomaeo Eustachio [1]) nomen glandularum suprarenalium iis tribuenti.

1) Cf. De renibus libellus. Venet. 1563. 4.

Tum Casserius Macentin. pariter bene ea descripsit, nomenque renum succenturiatorum, quasi renum in officio adjutorum iis dedit. A Thoma Bartholino glandulae atrabilariae dicta sunt. Paulo post Thom. Petruccius [1]) eas capsularum renalium nomine descripsit. Eduard. Tyson [2]) haec organa curatius in infantibus foetibusque observavit. Atque singulari studio I. G. Duvernoy [3]) ipsa in pueris adultisque investigavit et descripsit.

Renes succenturiati, quos glandulas sanguineas vocant ac systemati uropoetico utique adnumerant incisores, vertebrarum lumbalium ad utrumque latus extra peritonaeum ita sunt positi, ut reni utrique incumbentes ope textus cellularis cum iisdem et peritonaeo juncti sint et diaphragmati eiusque appendicibus, hepate ac liene continue deorsum premantur. Eorum figura, quae in variis animalibus varia reperitur, in homine haud est constantissima, ne utroque quidem latere eiusdem hominis. In fetu oblongi, ovales sacci similes, sursum longiores. In eodem foetu et nupernato homine sinistrum magis ovalem reperit Cl. Haller, [4]) dextrum vero cor-

---

1) Cf. Spicilegium anat. de structura et usu capsularum renalium. Romae 1675. Errorum plenum hunc librum dicit Haller. Cf. Biblioth. anatom. T. I.

2) Cf. An anatomical observation of four ureters in an infant and some remarks on the glandulae renales. Philos. transact. 1678. p. 1039.

3) Cf. De glandulis renalibus Eustachii. Vid. comm. petropol. Vol. V. 1729. d. Vol. XIII. 1751. p. 361.

4) Cf. Halleri Elem. physiol. Tom. VII. p. 289.

diformem. Idem aliquoties longos vidit et graciles. Quadratos paene multi vetustiorum pinxerunt. In adultis formam obtinent ut plurimum magis compressam et semilunarem vel subtriquetram, id quod cum Hallero a descensu diaphragmatis potissimum reduxeris: nam in fetu brevissimus thorax est, minimusque pulmo; in adulto homine pulmo maior, thorax longior est et diaphragma profundius in abdomen descendit. Inde fit, ut ovalis illa et sursum longa capsula deprimatur et latitudini transversae longitudo perpendicularis cedat: demumque inter diaphragma hepar et renem lienemve et pancreatem compressa triangularis fiat. Haec eadem videtur causa esse, ob quam in fetu capsula maior fit proportione, quam in adulto homine. Diaphragmatis enim descensus capsulam non sinit excrescere. Altitudinem obtinet quam maximam unius pollicis et plusculum, duorum latitudinem, quatuor linearum crassitiem, duarum pondus drachmarum et specificum inter reliqua organa maximum, si ab hepate recesseris. Superficies anterior dextrae in iecur et sinistri in fundum ventriculi versa incisuram, in qua vasa nervique in- et exeunt, satis profundam ostendit. Posterior parti diaphragmatis costali adiacet. Utraque paullulum convexa sulcisque irregularibus iustructa. Inferior concava marginem superiorem cingit renis convexum. Moles est spongiosa, mollis colore extrinsecus e rubicundo-fusco, intus e rubido-fusciore. Viscus tunica cellulosa circumfusum partibus vicinis molliori textu cellulari affixum est.

Quod ad substantiam attinet, duplex eius genus, quod vulgo distinguunt, memorabile. Corticalis substantia flava est, duriuscula, medullaris e rubido-fusca,

mollissima, spongiosa. In illa, quae ex fibris perpendicularibus constat, angustissimae arteriae venaeque Joanne Muellero [1]) hac de re vere merito auctore formationem exhibent prorsus peculiarem. Quae enim formam obtinent directorum, parallelorum aeque crassorum, valde artorum tubulorum, qui cuncti unam eandemque diametrum emetientes inde a circuitu ordine pulcherrimo ad centrum usque recta via coeunt. Quodsi in arteriam aut venas materiam fluidam inieceris, haec vasa perpendicularia una cum retibus interfusis longissimis observare potes. In externa superficie solita cernis vasa capillaria, quorum tubuli vix sunt artiores, quam substantiae corticalis. Omnes venulae perpendiculares in telam venosam substantiae medullaris sese effundunt. Haec maximam partem e venarum textu, quae in ramulos satis amplae venae suprarenalis transeunt, consistit, ideoque evenit, ut per eam cuncta tela spongiosa aere inflari queat. Cavea igitur, de qua in utramque partem tantopere disputatum est, medium id viscus occupare, praesertim in foetu etiam in adultis interdum conspici posse et liquorem subcruentum, aut pultaceam potius massam, flavidam sive fuscam, spiritu vini congelandam non amaram neque atrae bilis nomine dignam continere vulgo traditur. Cl. Haller [2]) hac de re enarrat haecce: sedecies utpote se invenisse caveam, ter vero nullam; caveam vero in foetu quam plurimum necnon liquorem albidum; forsan quoque, inquit, oriuntur e lo-

1) Cf. *Müller. Arch.* 1836. *S.* 306. *Taf. XV. Fig.* 1. 2.

2) Cf. Element. physiol. Tom. VII. p. 289.

bulorum appositione interstitia, quae deinde concrescunt. Totam autem cavitatem Meckel in statu normali denegans, sepsi incipienti illam adscribendam censuit, nullam videlicet adesse caveam, si recentius cadavera examinentur, neque ullum liquorem contentum, nisi substantiam internam vasculosam colliquescentem; quibuscum conveniunt observationes Cuvieri, qui fere nusquam nisi in elephante recenter secto caveas invenit tres, ita ut magnam acquirat Meckelii sententia probabilitatem. At I. Mueller suis fretus disquisitionibus pro comperto posuit, caveam nil aliud esse, quam venam suprarenalem. Eandem structuram, quam supra restrictissime exponere conabamur, etiam in mammalibus et quidem in bove, vitulo, ove, sue perbene observare licet, dumtaxat formae atque superficiei externae invenies dissimilitudinem. Arteriae partim ex aorta partim ex art. phrenica inf. et art. renali originem ducentes parvae sunt atque numerosae. Venae in renalem aut cavam inf. sese effundentes numero pauciores, sed maiores valvularumque expertes. Nonnunquam occurrit una. Vasa lymphatica ex interiore parte ac superficie exeuntia et in unum coalita vasculum ad ductum pergunt thoracicum. Quae vasa in hisce organis secundum Lauthium auctorem optimum non numerosiora, quam in reliquis corporis partibus inveniuntur, licet illa, sicuti alias glandulas, lienem, thymum, gland. thyreoideam largissimis eiusmodi vasis esse instructa diu crediderint et pro ductibus quasi excretoriis ea habuerint. Nervi e plexu renali propinquo et coeliaco exoriuntur, quamvis Haller dubitasse videatur, num revera ii in substantiam ingrediantur. Quorum multitudinem complures observatores

admirabantur [1]) atque Henle [2]) in parte nullius alius glandulae interiori talis crassitiei nervos sese invenisse iudicat. Pappenheim eos gangliis esse instructos animadvertit et Henle modo fasciculos albissimos intus conspexit.

Reliquum est, ut nonnulla de elementis viscerum disseramus, quae aetas demum recentissima aliqua ratione in luce collocare coepit. Quae igitur a thymo, liene, gland. thyreoidea valde discrepant. Etenim si glandulas renales contriveris vel discerpseris, acinos nancisceris, qui cum reliquarum granulis eiusmodi glandularum prima facie conferri queant, sed raro minus 0,003 lin. continent, ergo maiores, glabri, paullulum plani et maxima parte molli granulosa substantia sunt circumclusi, quae iis in squamularum forma irregularium adhaeret. Multos acinos haec substantia involucri instar tanquam laevis corticis coercet, quo sunt tam firmiter involuti, ut tantummodo magna opera expediri possint. Quapropter pro nucleis cellulosis habeas, qui diametrum 0,006—0,009 lin. obtinent. Cellulae maxime excretae, quae mirificas ostentant figuras angulosas, cuneiformes etc., quam densissime coarcervatae partim funiculos, ut ita dicam, formant, partim acervos lobulorum rotundos, qui fortasse specie funiculis spirae modo glomerati sunt. In cortice uterculos 0,012—0,030 lin. diametro crassiores singulis locis ac tenuiores vides granulosa prorsus expletos massa, quae cellulis singu-

1) Cf. *Nagel a. a. O. Fig.* 3. *Bergmann*, Dissertatio de glandulis suprarenalibus. Goetting. 1839. p. 11. fig. I.

2) Cf. *Allg. Anatomie. Leipzig* 1840.

laribus nondum dissepta, sed compages cohaerens, in qua granula sunt occlusa, esse videatur. Haec in pulla facile discedit corpuscula motum molecularem exhibentia. Cellulae in acido acetico solvuntur, acini fiunt pallidi ac breve intra tempus evanescunt. Secundum Pappenheimium [1]) substantia corticalis ex acinis 0,0037—0,0050 lin. consistit, qui radiorum modo circuli aggregati paucas continent partes oleosas; medullaris maiores acinos saepe cum nucleis multoque oleo praebet instructos. Priusquam igitur huius descriptionis finem faciam, operae erit pretium, de sententiis veterum huc facientibus haecce paucis commemorare.

Quod ad superficiem exteriorem horum viscerum spectat, iamiam magnus Malpighius [2]) docuit, praeter membranam a peritonaeo et adipis copia circumpositam aliamque tenuissimam tunicam propriam esse in capsula exteriori granulosam superficiem ex flavis laxis acinis factam quasi friabilibus tela cellulosa coniunctis, quam I. M. Hofmann [3]) nerveam nuncupat. Interiorem faciem villosae fabrieac intestinorum et serico tonso esse similiorem posuit Winslowius, levem autem totam e flavo-rubram et mucosam Malpighius. Atque haec cavitatem proxime respicit, a Th. Bartholino inventam, collapsam, similem ventriculorum cerebri, etiam cellulosis quibusdam fibrillis coniunctam, sicuti Winslowius tradit, qui et ipse cum aliis putat, venam maiorem per sulcum faciei interioris introrsum se

---

1) Cf. *Müller Arch.* 1840. *S.* 536.

2) Cf. De gland. conglob. p. 5.

3) Cf. Diss. de renibus succent. p. 1.

insinuare nudamque per ventriculi longitudinem extendere. Nonnulli, inter quos Riolanus princeps fuit, hanc venam negavere. Poros in eo sinu vidit Whartonus[1]); sed venam ipsam perforari foraminibus addidit Malpighius et Tyson[2]), quae mercurium emittere credebat Duvernoy.[3]) Eos poros admittit Winslowius, atque in foetu aerem per venas impulsum suum medium subire ait Cowperus, ex capsula vero flatum exire in venam Tyson. Quod ductum excretorium spectat, quem plures anatomici vetustiores invenisse sese alucinantur, ad hunc usque diem neutiquam satis probatus est. Ita Valsalva[4]) incisor diligentissimus in pluribus animalibus, mammalibus praesertim in iis, quae testes in lumbis gerunt, in avibus, amphibiis atque etiam in homine vascula aut vasorum certe imitamenta ex capsulis nata, quae in maribus ad testes in feminis ad ovaria tenderent, se vidisse putavit. Sed Morgagnio[5]) disciplo suo hoc inventum non placuit. Probabile tamen est, illum art. spermaticam min., quae in aliquot corporibus ex art. suprarenali exoriatur, vidisse,

1) Cf. Adenograph. p. 89.

2) Cf. Philos. transact. n. 142.

3) L. m. p. 189.

4) Ant. Maria Valsalva, an excretory duct from the glandula renalis. Extracted from the Giornale de letterati of Venice for the year 1719. Phil. trans. 1724. p. 190.

5) I. Bapt. Morgagni, Epistola de iis, quae in Acad. Bononiensi ab Ant. M. Valsalva recitata sunt. Diss. III. de ren. succent. excret. duct., horum fine et usu. Vid. comment. Bonon. Vol. I.

id quod ex descriptione Ranby[1]) chirurgi anglici iam affatim elucet. Teichmeyerus[2]) nervum pro ductu habuerat. Iam antea fuere, qui eiusmodi vasa conspexisse vellent. Inter alios fuit Rhodius[3]) et Peyer[4]), quos in ericio ductus ad testes descendentes observasse ferunt. Canalem ad ductum thoracicum aut chyli receptaculum provenire Kulmus[5]) duxit. Vasculi in renis pelvim ineuntis Beudt[6]) et Heuermann[7]) mentionem faciunt.

II. in foetu.

Glandulas renales folio esse vasorum verisimile est, utpote quae supra renes et aortam massa per semetipsam separata, sed nulla ratione Arnoldio[8]) autore e corporibus Wolffianis admirabilibus exoriuntur. Etiam secundum hunc scriptorem initio eandem structuram, quam exhibent haec organa. Quae est observatio, quam Arnoldio excepto hucusque nemo facere poterat atque haud dubie poterit.

Immo vero utraque glandula compages tanquam simplex, uti hocce Valentino in embryone ovis canisque observare licuit, super columnam vertebralem et ante renes struitur. Haec tumescit et partes in duas

---

1) Cf. Philos. transact. n. 385.

2) Cf. Diss. de generatione.

3) Cf. Mantissa anatomica ad Th. Bartholin. Hafn. 1661. n. 36.

4) Cf. Exercitat. anatom.

5) Cf. *Bresl. Samml.* 1722.

6) Cf. De fabrica et usu visc. urop. p. 17.

7) Cf. *Physiologie.* 4. *Th.* *S.* 97.

8) Cf. *Salzburg. medicin. chirurg. Zeit.* 1831. *S.* 236.

aequas seiungitur, ita ut eae lateri renum anteriori interno adiaceant. Sed antequam iusto modo sunt distinctae, renes ipsi iamiam exstant. In hominibus glandulae renes initio praeminent ingenti magnitudine et quo minor natu est foetus, eo grandiores inveniuntur. Ita Meckelius[1]) in embryone novem lin. magno easdem duas lin. reperit longas. Pari modo I. Mueller[2]) in embryone humano octo lin. longo. Utroque autore in embryone unum pollic. longo sunt duplo maiores, quam renes atque in fetu demum decem duodecimve septimanas nato hisce magnitudine adaequant. In mammalibus autem renibus nullo modo volumine praegrediuntur, quapropter Meckelius[3]) mirificam homines inter et animalia differentiam eo consistere voluit, quod gland. renales in fetu mammalium ratione pusilliores, quam hominum reperiuntur.

Monendum adhuc est, post partum glandulas sensim sensimque diminui, ita ut in adultis ad renem fere perinde ac num. I. ad XXVIII. sese habeant atque aetate longius provecta tenuiores solidioresque fiant, ex parte quoque prorsus evanescant. Aethiopibus nonnulli referunt prae Caucasis eas maiores et substantiam esse coloribus tinctam.[4])

1) Cf. *Beiträge z. vergl. Anat. Bd. I. Heft* 1. *Leipz.* 1808. 8. *p.* 81.
2) Cf. *Bildungsgeschichte der Genitalien. Düsseld.* 1830. 4. *p.* 70.
3) Cf. *Abhandl. aus der menschl. u. vergl. Anat. Halle* 1806. 8. *p.* 292.
4) Cf. *Meckel's Handbuch der menschl. Anat.*

CAPUT SECUNDUM.

Physiologia.

Hae glandulae non solum in homine, sed etiam in mammalibus, ex quibus apud phocam secundum Cuvierum[1]) minimam habent extensionem, avibus et vestigia earum in amphibiis squamatis, squalis raiisque occurrunt. Retzius in serpentibus et plagiostomis adumbravit, Nagel in crocodilis, testudinibus, serpentibus observavit et cum Retzio vestigia in rana non corpora adiposa, sed striam granulosae substantiae flavidae in renum superficie anteriori glandulam renis existimat. Etiam nonnulli (Malpighius, Haller etc.) vetustiorum incisorum egregii eas in variis animalibus iam plane manifestas viderunt, ut in glire, mure, talpa, porcello indico, erinaceo, vervece, cervo, elephanto, simia, panthera, tigride, struthione, tarda, testudine, vipera, lacerta et aliis.

De horum igitur viscerum functione tot sententiae, mirum quam diversae subinde propositae sunt et nihilo-

1) L. c. Anat. comp. Leçon XXX. p. 24.

secius ad haec usque tempora contigit, ut ea clarioris lucis particeps fieret. Auctores vetustiores fere omnes, (nam ductus excretorios, quibus tamen prorsus carent, accipiebant), uno ore consentiunt, illa ad liquorem per eosdem peculiarem secernendum esse destinata. Ita statuit Malpighius, urinam secerni, et Petruccius, per venas eo sanguinem ferri, ex quo separetur atra bilis, qua de re gland. atrabilares nuncupatae sunt. Hocce nòn est probandum, propterea quod opinionem atrae bilis tantummodo commenticium quiddam ducere oportet et in compluribus animalibus hae glandulae e flavo-albidum exhibent colorem. Mayer, praeceptor Cl., saepenumero observavit, non solum vasa magna lymphatica in eas commeare, sed etiam si digitis aliquantisper pressisset, laticem chylo similem ex ipsa vena suprarenali comparere; ex quo colligi possit, illos inter et systema lymphaticum artius exstare connubium. Utut sit, attamen est res perquam memorabilis, id viscus in foetu inveniri permagnum, quin etiam renes primo tempore magnitudine multo superare, qua ex causa forte concludere potes, illud nonnisi in foetus vita summae esse potestatis. Quae conclusio non plane recta videtur, quia nimirum alia quoque organa intra vitam foetalem adesse compertum habemus, quorum functio ad hominis vitam plurimum valet. Quid? Quod pluribus anatomicis antiquioris aetatis res iamiam innotuit eiusdem momenti, id in acephalis et hemiencephalis defuisse. At contra hocce numerosis quaestionibus Mayer V. Cl., edoctus dicendum putat, in huiusce generis monstris hoc organum nunquam prorsus defecisse, sed potius in plerisque casibus perparvum fuisse et ut pluri-

mum partem compaginis suae forte duodecimam esse nactum. Quocirca posse monstrari, glandulas et cerebrum vinculo quodam inter se cohaerere, quod eo referendum sit, quia in illis cerebrum abdominale minus excultum sese ostendat ideoque gland. renalis ad plexum coeliacum forsan simili modo, quo gland. pituitaria ad cerebrum se habeat.

Recentiori tempore etiam de sanguinis mutatione quadam in hisce organis multifariam loquuti sunt. Quae enim Sprengelio [1]) ea esse videtur, qua oxygenis ratio ad hydrogenem et carbonicum idonea servetur: quam quidem ob causam in foetu, ubi pulmones officium suum non praestant, necessaria sunt alia organa, quae sanguini arterioso suam mixturam restituunt, quorsum etiam thymum pertinere probavit. Quum igitur hae glandulae nondum exstirpatae sint, neque ullam caveam liquore proprio expletam contineant, cum aliis glandulis similis generis nil aliud, quam vasorum sanguineorum copiam commune habent. Sin autem elementorum, quae aetate novissima sunt enucleata, peculiarem creveris diversitatem, aperte fateberis, illis locum inter glandulas sanguineas immerito esse concessum. Veruntamen verisimile est, disquisitionibus huius visceris adhuc admodum neglecti usitatisque in scriptis leviter tractati pro coniectura iamiam a Bergmanno capta, id quadam ratione ad systema nervosum spectare, aliquando disceptatum iri. Etenim eius elementa gangliis non tantum forma similia sunt, sed etiam eo cum iisdem congruunt,

---

1) Cf. Instit. med. Tom. II.

quod aeque ac haec ad acidum acetic. sese habent, id quod videlicet gravis est momenti. Dein colorem glandularum cum substantia grisea organorum centralium convenire iam Pappenheimius disseruit. Item scrutatorum naturae argumenta non sunt negligenda, quibus Meckelius interius cum genitalibus commercium ponit. Nam hic, ut exempla afferamus, in ariete castrato glandulas multo minores observabat et Vaucquelin in fele mare antea castrato induratas inveniebat, [1]) dum in homine voluptario e lue venerea exstincto duplo maius acquisiverant volumen. [2])

Simile voluminis in homine incrementum Meckelius perquisivit apud iuvenem, qui diu masturbationi deditus exinde phthisin pulmonalem contraxerat; testes iusto molliores erant, capsulae suprarenales structura quidem normales, sed duos pollices longae et latae. In alio iuvene, qui et ipse a prima infantia venere solitaria usus erat, hae glandulae volumine auctae reperiebantur. In Cavia Cobaya propria manipulatione tam frequenter seminis emissionem Meckelius excitavit, ut animal exinde exstingueretur; cum testibus simul glandul. suprarenalium compages multo laxior erat, quam in aliis sectionibus observaverat. Insuper plura animalia, quae systema genitale valde excultum exhibent et continue flagrant coeundi desiderio, uti fere omnia, quae Linneo glirium nomine veniunt, maioribus quoque glandulis renalibus sunt instructa. Quamvis earum

---

1) Cf. Fourcroy, méd. ecl. pour les scienc. Tom. I. p. 236.

2) Cf. *Otto, Pathol. anat. Beob.* 1816. *p.* 139.

functio haud manifeste exinde queat demonstrari, commercium tamen cum sexu satis magnam acquisisse verisimilitudinem, ulterioribus demum observationibus explanandam.

CAPUT TERTIUM.

Pathologia.

Conditiones morbosae renum succenturiatorum, quantum hucusque in medicorum cognitionem venierunt, omnino rarissime, sed tamen sub formis obveniunt diversissimis seriemque substantiae destructionum inde ab inflammatione ad ipsum carcinoma usque variarum obtinent, quae iam breviter considerabimus.

I. Vitia primae conformationis adspicere lubet.

Glandulae suprarenales utroque in latere duplices reperiebantur. Bartholino[1]) quatuor in homine, cuius renes coaliti erant, observandae veniebant. Morgagni[2]) in latere sinistro splene pelvibusque renum una duplicatis ancipites observavit, qui tamen casus adhuc in dubio sunt. Etiam incertiores exstant observationes

1) L. c. Cent. II. hist. LXXVII. Tom. I. p. 306.

2) L. c. Ep. LXIV. 2. Cf. Schmidt, dissert. de gland. supraren. Traj. ad Viadr. 1785. *Mayer's Beschreibung des menschl. Körpers. Bd. 4. S.* 508.

totius earum defectus.[1]) Quem Winslowius in infantibus cum pauca vel nulla cerebri mole natis se observasse contendit. At ipsis in casibus, ubi ren alter defecit, tamen gland. suprarenalem animadvertere licuit.[2]) Veruntamen earum defectus omnibus casibus, in quibus alter ren deerat, facile dubitari non potest, quandoquidem talem casum Harder et Stoll nobis retulerunt. Praeterea Ficker casum quasi prodigiosum in clerico statura corporis robusta instructo, qui in vita colore faciei satis florido praeditus, symptomatis morbi hypochondriaci saepius vexabatur, lotium variatum ac ferme permultum mittebat, et aetate seniori mortem obiit, sectione accurate instituta utrumque renem simul cum eorum glandulis prorsus defuisse observavit, titulo „*Räthselhafte Urinabsonderung*“ fusius descripsit atque provulgavit.[3])

II. Inflammatio, suppuratio et *exulceratio.*

Inflammatio perraro observata est. Andral[4]) alteram gland. suprarenalem in foetu e gravida semestri phthisi demortua secto incensam et iam in suppurationem transitam invenit. C. Chr. Schmidt[5]) tantum

---

1) Cf. Miscell. nat. cur. Dec. I. an. II. Obs. 68. Dec. II. an. I. Obs. 35. Halleri elem. physiol. Tom. VII. pag. 386. not. b., ubi plura exempla sunt allata.

2) Cf. Sandifort. Mus. anat. Vol. I. Sect. V.

3) Cf. *Rheinische Jahrbücher für Medizin und Chirurgie. Herausgegeben von Chr. Fr. Harless. Bonn* 821. *IV. Bd. II. St. S.* 119.

4) Ei. Nouvelle Bibliothèq. méd. 825. p. 306.

5) Cf. *Jahrbücher der in- und ausländischen gesammten Medicin. Jahrgang* 1838. *XX. Bd.*

semel punctum purulentum in gland. renali cum rene sano coalita neonati conspexit, de cuius mortis caussa propius non certior factus erat. Casus a Greisel et Blaes relati immerito abscessus ducti sunt, quoniam nonnisi sanguinis effusiones fuere. Blasius sinistram rubidam, volumine auctam materieque atra et purulenta farctam in aegrota animadvertit, quae urinam purulentam sedimento nigro coniunctam diu excreverat. Alio in casu glandula magnitudine dira et ulcere sinuoso instructa inspiciebatur, ex qua aperta duodecim librarum pondere pus sanguineum effluxit.[1]) Lieutaud narrat, sinistram duas libras saniei continuisse et magnitudine ita adauctam fuisse, ut supra duas libras gravis esset.

III. Aliae degenerationes diversae.

Bonnet in homine, qui dyspnoea variisque pectoris et abdominis affectionibus cruciabatur, dextram glandulam vidit vegrandem, mollem et prorsus destructam; sinistram solito maiorem scirrhoque affectam.[2]) Substantiam massa quasì cartilaginosa correptam fuisse etiam visum est. Ita Sandifort in parte inferiore sinistrae nodum crassum durumque conspexit. Bonneto auctore eiusmodi indurationes malignae in ulcerationem quoque cancrosam transiisse dicuntur. Pluries C. Chr. Schmidt tubercula reperit, praesertim quum in renibus quoque sese ostenderent. Louis[3]) copiam materiei tuberculosae nondum emollitae exiguam bis invenit; sed non refert, quales renes, nescio an

1) Cf. Miscell. nat. cur. Dec. I. An. I. Obs. 57.

2) Ei. Sepulcr. anat. Lib. II. Sect. I. Obs. LXXIII.

3) Ei. lib., sur la phthisie. Paris 1825.

fuerint item tuberculosi. Baillie semel conditionem, quam vocat scrofulosam, observavit. Altera glandula volumine ita adaucta erat, ut renem ipsum adaequaret. Insuper utraque in materiam mutata albidam, qualem in glandulis scrofulosi correptis lymphaticis persaepe inveneris. C. Chr. Schmidt pluribus in casibus, quibus iecinoris vel renis cancrum dispexerat, in glandulis massam cerebri similem passim insitam et plus minusve explicitam animadvertit, quam vero, nisi in renibus simul aderat, videre ei nunquam licuit. Eandem molem sed cum materie quasi faeculenta commixtam, etiam Cruveilhier renibus simul cancere correptis. Vauquelin in fele mare catulo castrato glandulas osseas reperit et Lobstein in homine morbum venereum diu perpesso volumen sinistrae cretacea materia triplo adauctam. Morgagni laevae glandulae tumorem rotundum vidit tam firmiter adnexum, ut utraque pars ex uno fere eodem corpore constare videretur; quem e compage glandulosa consistere cognovit, in cuius interiori parte caveae duae liquorem aquosum continentes se ostendebant. Denique in hisce organis interdum etiam glaream invenerunt. Blasius [1]) eandem glandulam feminae quinquaginta annos natae, quae lotium cum sedimento subnigro purulentum complures annos non raro dolorem sentiens mittebat, ad pugni magnitudinem expansam, colore rubicundam, ichore atro purulento pluribusque lapillis infartam observavit.

---

1) Cf. Observat. anatom. pag. 129. tab. XV. fig. 14. Eiusdem observ. medic.

Etiamsi non tam interest, status, quos exposuerimus, plus minusve restricte novisse, tamen conditiones, quae nonnihilo aestimentur, digniores sunt hae:

IV. Hypertrophia.

Meckelius in duobus hominibus veneri magnopere deditis gland. renales iusto maiores invenit. Otto duplo grandiores in casu, quo partes sexuales valde excultae sese ostendebant. Volumine tantopere adauctas sine texturae commutatione alii quoque auctores memorant. — Quum haecce organa pluribus in ordinibus mammalium una cum partibus genitalibus admodum evoluta atque insuper nonnullis in casibus perparva comparuisse, quin etiam defecisse comperissent, Meckelius opionem iamiam antea notam promulgavit, interius inter has viscerum species vinculum esse quaerendum. Ad hanc igitur, quantum veri clarescat, propius illustrandam, Schmidt sciscitari in animum induxit, num partium sexualium morbi et proxime testium atque ovariorum quampiam vim in gland. suprarenales exerceant, necne. Ex eius scilicet disquisitionibus illius sententiae eluxit prorsus contrarium: nam ne semel quidem in casibus cancrosae vel tuberculosae destructionis testiculorum ac diversae ovariorum luis, de qua sola septennio casuum novem inquirendorum occasionem habebat, renes succent. aliqua ratione morbo affectos reperit.

V. Atrophia,

aut potius evolutio nimis retardata gland. renalium in acephalis res constantior haberi potest, quoniam observationibus numerosissimis admodum pro-

bata est. Nam secundum Hewson [1]) solito minores in foetibus cerebro parvo aut nullo instructis fuere. Porro observata huic rei satis consentanea Vetter, Soemmering, Cooper, Meckel, Voigtel, Klein, Metzger, Winslow, Breschet, Geoffroy St. Hilaire filius pluresque alii in lucem protulerunt. Altera ex parte I. Muelleri sententiam, has glandulas saepius quam alia organa in acephalis deesse, neutiquam probatam esse ferunt. Verumenimvero infitias ire nemo potest, eas in exiguo casuum numero acephaliae bene excultas fuisse.

VI. Effusio sanguinis in substantia ipsa s. Apoplexia v. s. d. renum succenturiatorum.

Haec conditio, qua sanguis in interna horum organorum parte vel repente vel sensim semsimque mehercule praegravi copia accumulatur, hucusque crebrius, quam omnes eorum aliae affectiones morbosae observata est. Eiusmodi casus, quibus ob effusionem sanguinis nimiam in massam tam diram commutabantur, ut mors mox sequeretur, potissimum tres in nosocomio Francogallico (Hòpital de la Charité et Hôp. de Louis) acciderunt, de quibus graviora paucis commemorabimus.[2])

Casus primus.

Tumor magnus in latere dextro, enormi apoplexia gland. renalis dextrae oxortus. (A. Roger relatus est.)

Die XXVII. m. Apr. a. MDCCCXXXVI. anus septuaginta quinque annos nata in nosocomium (Hòp. de

---

1) Philos. transact. Tom. XLV. part. II.

2) Cf. *C. Chr. Schmidt's Jahrbücher der Medicin. XX. Bd*

la Charité) recepta est, ubi die XV. m. Maii mortem obiit. Secundo abhinc aetatis anno dextro pede claudicabat, septem infantes feliciter genuerat, neque omnino fere unquam aegrotaverat, nisi quod urinam rubicundam, perolentem cum perpauca glarea rubida coniunctam mittebat. Ultimis quinque annis ad dextrum latus quinquies ceciderat, quod tamen aegrae statim nil detrimenti afferebat. Quo ex tempore in regione lumbali dextra de dolore vehemente querebatur, qui in uterum extenderetur, et lotium cum muco salibusque mixtum guttatim non sine dolore mittebat. Post hanc accessionem, quae duos menses manebat, solummodo in lumbis dolorem subinde sentiebat. Tribus mensibus ante mortem accessione reiterata lectulo affixa est. Idem dolor vehemens in regione renis dextri, molestia in mingendo rediebat, vomitus triduum vexans ac praeterea dolor dirus in femore dextro intrabat. Quinque ante septimanis denuo vomitus pertinax ostendebatur. Aegrota colorem faciei e flavido viridem prae se tulit, qui vitium organicum suspicari sivit. Abdomine quaesito in latere dextro tumor inveniebatur, qui in parte superiore durus erat et in inferiore fluctuabat. Is pressu ipso doloris expers. Perquisitius explorari non potuit, quum moribunda fuit.

S e c t i o. Infra hepar simulque cum eo coalitus tumor reperiebatur permagnus, cuius forma quodammodo renem aequabat. Antrorsum abdominis pariete, costis spuriis, musc. abdominis obliquis et transverso, retrorsum vertebrarum columna circumdatus fossam totam iliacam occupavit. Pondere quatuor libras gravis, colore externo e fusco subnigro, ubique praecipue in parte inferiore fluctuabat. Ex quo aperto sanguis ater fluidus

circiter una libra ac dimidia effluxit. Per ureterem liquor in pelvim renalem injectus neque in tumorem ipsum progressus modo illam expansit. Quo caute dissecto praeclare cognitum est, eum non ex rene deformi ipso posteriori eius parti adnato, sed e gland. suprarenali quantum mirum extensa constructum fuisse. Tumor apparuit grandis tanquam saccus apoplecticus, qui sanguine emisso pluribus e sacculis constabat et coagula sanguinea plus minusve iam in materiem organicam mutata satis magna copia exhibebat. Haec coloribus omnibusque figuris exornata erant, acsi focis apoplecticis diverso tempore coacervatis extitisse viderentur. Totum tumoris involucrum exterius nil aliud fuit, quam gland. suprarenalis, cuius textum normalem expedire non licuit. Ren vicinus in uno latere in tumorem prementem adverso paullulum planus comparuit, quare substantia corticalis cum tubulis compressa fuerat. Ren sinister deformis nephritidis chronicae speciem prae se ferens tanquam ex duobus lobulis consistebat. Supernus eorum minor incisura, in qua materies flavida granulosa et reticulata aderat, semotus. Ren succent. sinister, uterque ureter cum vesica sanus sicuti iecur. Intestina pallida. Cor pusillum, paene atrophicum, valvulae eius morbose affectae et aliquot locis in cartilaginis textum degeneratae.

Casus secundus.

Apoplexia in utraque glandula renali, inflammatio renum et alia. (A Roger relatus est.)

Die X. m. Januar. MDCCCXXXVI. femina sexaginta octo annorum macie valde correpta et faciei colore facci vini simili praedita in idem nosocomium re-

cepta est. Septemdecim ex diebus catarrho se vehementer laborasse retulit. In lecto ad dorsum cubuit capite quidpiam elevato; optato medici cito surgere vires ob exhaustos penes aegram haud erat. In pectoris omnibus locis aequabilis sonus completus auscultabatur; fere ubique etiam rhonchus mucosus magnus, qui in inferiore et anteriore pulmonis sinistri parte paene strepitui crepitanti appropinquabat. Spiritum trahere et reddere brevibus intervallis simul cum dyspnoa fiebat. Manu in cordis srobiculo posito tremorem sentire licuit. Pulsus paullulum debilis, sex et septuaginta ictuum. Aegra priori tempore multum sanguinis se minxisse asseverans pressu in regione lumbali dextra exercito labra distorsit. Brevi post his symptomatis valde non auctis vita excessit.

Sectio. Dura mater calvariae ubique adhaerebat. Cordis valvula mitralis in substantiam cartilaginosam mutata fuit. Bronchia utriusque lateris plerumque rubefacta mucique tenacis plena et alia levioris momenti in pulmonibus ac pleuris. Dextri renis volumen normale. Tela cellulosa eum circumfusa largo adipe instructa. In eius superficie anteriori cernebatur vasorum iniectio, praesertim in tela glandulam inter et renem interstrata, qua organa ita inter se cohaererent, ut ad ea separandum vasa rumperentur necesse esset. Substantia renis corticalis satis rubida, pelvis calycesque paululo minores et vasis iniecti. Volumen gland. renalis valde auctum. In qua sursum ac deorsum incisa antrum conspiciebatur, quod unum circa et dimidium pollicem altum, duos longum ac dimidium latum et sanguine prorsus impletum erat. Hic ater et in foci centro unius liquescens, in circuitu tenacior. Substantia circumcirca focum apo-

plecticum capsulam quasi tenuem, colore rubicundam splendidam conformabat. In altera glandula sanguis similiter, sed maiori copia effusus. Cuius ren, qualis fere dexter, nisi quod pus flavum tenax in eius pelvi exigua copia accumulatum. Ureteres in ostiis valde rubefacti et vesica vasis iniecta. Uterus volumine satis parvulo.

Casus tertius.

(A Moissonnet relatus). Hernia umbilicalis in nupernato, apoplexia in utraque renum glandula, qua in regionibus lumbalibus tumor exortus.

Die XXIV. m. Novembr. MDCCCXXXVI infans nupernatus hernia umbilicali magnitudine eius capitis affectus in Ludovici nosocomium (Hòp. de Louis) ab obstetrice deportatus est. Ceteroquin corpore bene formatus ac vegetus erat; attamen extra herniae volumen paries abdominis pressui iusto magis resistebat et in lumbis fuit valde extensus. Hernia conatibus pluries repetitis in cavum abdominis tandem repressa. Sacco circa umbilicum abscisso vulnus sutura circumvoluta occlusere. Quo facto parvulus, cuius respiratio difficilis fiebat, per os materiem subviridem, quae fel esse videbatur, et per anum meconii copiam evacuabat. Kalomel, clysma emolliens hirudinesque in pariete abdominis inferiore ordinabantur. Exhinc noctu aliquot sedes; sed die sequenti conditione aegri aggravata sub vesperum viginti horis post operationem demortuus est.

Sectio quadraginta una horis post mortem instituta.

Intestina praesertim latus versus sinistrum sita adhaesione valde agglutinata et cum sanguine coagulato pureque passim erant obducta. Regionem lumbalem dex-

tram tumor fluctuans obtinuerat, qui magnitudinem pomi mediocris aurantii adaequabat, cuiusque pars superna iecinori et visicae felleae, inferna renis faciei posteriori adhaerebat. Hic cum rene pluribus foliis cellulosis circumfusus. Incisione igitur facta tribus saltem unciis serum sanguineum absque coagulis emittebatur; exin cavĕa rete bellissimo fibrinae rubrae firmiterque coagulatae instructa apparuit. Parietes tumoris membrana renis eiusque glandulae communi constructi esse videbantur, quae crassitie valde aucta cum involucro corticali glandulae coaluerat, licet centrum eius medullare foci apoplectici sedem ducere oporteret. Glandula renis sinistri mole intestinorum tanquam compressa volumen ipsius acquisiverat. Liquore sanguine pureque commixto sicuti intestina erat superfusa. Pars superior consistentia pulposa rimam praestitit, qua in caveam extensionem visceris fere totam occupantem inspicere licuit. Ea sanguine atro vestita. Quam rimam ruptura glandulae renalis herniae taxi confecta exstitisse verisimile est. In mesenterio glandulae rubicundae fabaeque magnitudine. Praeterea tres casus a Greisel [1]), Blaes [2]) et Lieutaud [3]) enarrati inveniuntur. Denique C. Chr. Schmidt, cui magnum numerum renum eorumque glandularum in neonatis perquirendi occasio oblata erat, dextram gland. suprarenalem in capsulam ovi columbini circuitu mutatam et sanguine infartam bis invenit. Sanguinem exigua copia in substantiam infiltratum saepius observavit.

---

1) Cf. Ephem. nat. curios. Dec. I. ann. 1. p. 133.
2) Cf. Observ. anatom. p. 129.
3) Cf. Hist. anatom. T. I. p. 285.

Epicrisis.

Quod caveam interioris partis istorum organorum a pluribus incisoribus normalem habitam omnino spectat, C. Chr. Schmidt, auctor huiusce rei certus confirmat, eam, quotiescunque invenerit, vel sanguine subnigro fluido, vel coagulo sanguine recenti exorto, vel etiam liquore subflavido albuminoso confertam fuisse. Itaque est in opinione, cavitatem, quae pluries reperta sit, haud normalem, sed nonnihil in casibus saltem plerisque sanguinationis substantiae medullaris fuisse sequelam. Ceterum, inquit, frequentiam eiusmodi conditionum structura viscerum singulari facile explicari posse. Horum enim compaginem internam potissimum e venis constare, quarum pars retem venosam densissimam, altera truncum eius centralem conformet, cuius lumen non raro caveam propriam perhibuerint. Immo vero parietes horum vasorum perquam frequentium adeo esse teneros, ut vel aere in ea inflando cavum saepius fortuito provocári possit.

Disciplina igitur huiusce visceris, quantum videlicet ex omnibus illis rebus perspicuum est, hasce rationes concludere licet:

a) Glandulae renales a renibus haudquaquam dependent, quum adsint, si hi forte desint, atque situm normalem obtineant, dum ren abnormis est.

b) Compages earum parum explicita in acephalis res est satis comperta; sed defectus ac formatio regularis exceptio existimanda.

c) Nexus cum systemate nervoso et structura penitiori et ratione ab auctoribus optimis satis probatus est.

d) Cavum v. s. d. naturale semper fortuitum saepiusque effusionis sanguinis sequela, qui plus vel minus resorberi possit.

e) Eiusmodi haemorrhagia, si longius tempus manet, dira fieri ideoque in lumbis tumores promovere potest, qui ad dignoscendum quidem difficillimi, sed tamen disciplinae nostrae et praxi maioris sint momenti.

f) Inflammatio ac destructio, quae fere semper similes affectiones partium vicinarum subsequitur, nulla conspicua prae se fert symptomata, quibus intra vitam extricari queat.

g) Etiamsi renes succenturiatos inter et organa sexualia connubium physiologicum utique denegare non licet, nihilo tamen secius pathologicum res est obscura et controversa, quippe quum organorum morbos genitalium cum glandulis suprarenalibus cohaerere nondum liquerit.

h) Studio pathologico functioni harum glandularum ad hunc usque diem mera lux non affulsit.

Vitae curriculum.

Ego Adamus Schmitz natus sum die XXV. mens. Novembris MDCCCXVIII, patre Friderico, pluribus ex annis dira morte mihi erepto, et matre Anna Christina, e gente Schumacher, quam Dei gratia adhuc viventem veneror. Confessioni addictus sum catholicae. Primis literarum elementis incubui pago Stommeln natali, tum Coloniae Agrippinae urbis prope sitae Gymnasium catholicum, directore Birnbaum, per octenne spatium frequentavi, a quo cum testimonio maturitatis dimissus, almam adii Universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam, ibique a Rectore Magnifico Cl. Mayer in Academicorum civitatem receptus, apud Cl. Wutzer, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum Spectatissimum, nomen professus sum.

Per quattuor annos in hac Musarum sede versatus, hasce audivi scholas: Logicen et psychologiam apud Cl. Fichte et Cl. van Calker; historiam philosophiae inde a primis initiis ad Kantii usque aevum apud Cl. Fichte; aestheticen apud Cl. Brandis; de Taciti Germania apud Cl. Arndt; physicen experimentalem apud Cl. Plücker; Anatomiam generalem et specialem apud Cl. Mayer et Cl. Weber; chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam apud Cl. Gust. Bischof; botanicen apud Cl. Treviranum; zoologiam et zootomiam apud Cl. Goldfuss; mineralogiam apud Cl. Noeggerath; physiologiam et anatomiam comparativam apud Cl. Weber; encyclopaediam et methodologiam artis medicae, pathologiam

generalem, semioticen et doctrinam de aquis soteriis et morbis chronicis apud Naumann; materiem medicam et artem formulas medicas rite concinnandi apud Cl. Albers; chirurgiam, anatomiam chirurgicam, doctrinam de morbis oculorum, de fasciis rite applicandis, de operationibus in cadavere instituendis et capita clinices selecta apud Cl. Wutzer; historiam artis medicae et materiem medicam apud Cl. Harless; artem obstetriciam, de instrumentis obstetriciis, de morbis infantum, historiam artis obstetriciae et medicinam forensem apud Cl. Kilian; anthropologiam, physiologiam, therapiam generalem et specialem et colloquia de casibus morborum gravibus apud Cl. Nasse.

In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt: in arte cadavera rite secandi Cl. Cl. Mayer et Weber; in clinico propaedeutico et therapeutico medico Cl. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Cl. Wutzer; in exercitationibus obstetriciis ad phantoma et in clinico obstetricio Cl. Kilian.

Per annum in septima equitum hastatorum cohorte chirurgi militaris volonis munere functus sum duce Cl. Dr. Kallmann. Quibus omnibus viris praeclare de me meritis summas, quas possum, habeo gratias et in perpetuum habebo.

Theses.

I. *Sententia Iuven. „ut sit mens sana in corpore sano" maxime ad medicum referenda est.*

II. *Causae, ob quas aliquae eruptiones aut morbi cutis quosdam corporis locos obtinent, hucusque nobis non innotuerunt.*

III. *Est typhus simplex.*

IV. *In morbis curandis medico quodvis ad remedium refugere licet, quo honestas non laeditur.*

V. *Induratio medullae spinalis a mollitie difficulter discernenda.*

VI. *Chinoidinum non est alcaloidum.*

VII. *Succus pancreaticus a saliva valde discrepat.*

VIII. *Vesiculae seminales fere eodem modo, quo vesica fellea funguntur.*

IX. *Cor organum haematoseos.*

X. *Chirurgus non minus dextra ac sinistra manu promptus esse debet.*

XI. *Exarticulatio ossium metacarpi secundum a Waltheri methodum omnibus ceteris praeferenda.*

XII. *Strepitus placentarius cum aliis confundi potest.*

XIII. *In utero foetum arcte ac firmiter constringente versionem instituere licet.*

XIV. *Combustio hominis spontanea res non est affatim explicanda.*